

COMMUNICATIONES

RAYMUNDUS TELLERÍA

REFORMATIO CONSERVATORII IN CIVITATE GAETA A S. ALFONSO SUSCEPTA ET PER EIUS FILIOS AD EXITUM PERDUCTA, AN. 1760

Adest in vita S. Alfonsi factum quodammodo singulare, utpote quod primo aspectu contrarium ferreae suae voluntati impediendi quominus suae Congregationis Missionarii occuparentur negotiis a ministerio apostolico stricte sumpto alienis. Factum eiusmodi in eo consistit, quod mensibus vernis an. 1760 ipse Caietam misit tres Instituti sui alumnos, qui Conservatorio Regio praessent illudque funditus quoad mores et disciplinam reformarent. Procul dubio gentibus coaetaneis clara cuncta videbantur, nobis contra aliter accidit; quamobrem vestigare conabimur: 1°. Rationes, quibus ad onus amplectendum motus fuit S. Alfonsus. - 2°. Statum obiectivum Conservatorii iuxta Patrem Tannoia et documenta quaedam archivistica. - 3°. Opus reformationis a S. Alfonsi discipulis instauratum.

1. - *Rationes, quibus motus est S. Alfonsus.*

In antecessum fatemur rationem primam haud inniti, usque in praesens, documentis positivis indubiis. Agitur simpliciter de speciali benevolentia erga civitatem Caietam, in S. Alfonso orta fortasse ex praecedentibus illius ad locum visitationibus. Quae sane extitisse praesumuntur, si illum adolescentem et iuvenem effingimus quandoque comitem patris sui cum triremibus versus Caietae sinum navigantis. Nec omnino fundamento destituitur eiusmodi praesumptio, cum in opere alfonsiano *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo* legimus verba, quae aperte denotant ocularem testem, minime vero ex auditu aut ex lectione narrantem: « Specialmente nel promontorio di Gaeta vedesi oggidì una montagna di pietra viva, della quale è fama che nella morte del Signore ella si aprì per mezzo dalla cima al fondo, ed apparisce chiaramente che l'apertura fù prodigiosa; poiché quest'apertura è sì grande che vi passa il mare per mezzo, e quel che si vede mancante in una parte, vedesi a proporzione cresciuta nell'altra » (1).

(1) *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo*, cap. VI: *I prodigi della morte di G.C.* = Opere ascetiche V, Roma 1934, 271.

Quidquid sit de hac S. Alfonsi propensione erga civitatem, maximus ei ad agendum aculeus obvenit ex expressa regis Caroli voluntate. Quo enim sincero versus populum studio rex ferebatur, simul ac intellexit Caietae Conservatorium, « Regio » cognomento adauctum, versari in angustiis oeconomicis necnon moralibus atque religiosis, decrevit tantis malis remedium adferre, cooperante sibi S. Alfonso, « cuius — ait Tannoia — zelum apprimè noverat princeps et cuius Missionarii ob eorum optimam agendi rationem » magni apud aulicos ministros aestimabantur. Quin etiam: huiusmodi consiliarii regii, potissimum marchio d'Anna (2) et advocatus Dominicus Mirra, regi Carolo suaserunt, ut reformationis sarcinam atque honorem S. Alfonsi humeris imponeret.

Nec ex humano dumtaxat erga principem obsequio, ceteroquin in illis adiunctis pro Congregatione sua admodum fructifero, S. Alfonsus actus processit, sed praesertim ex consideratione extremae necessitatis, in qua languescebant animae intra Conservatorium, id est, puellae, puerulae immo et adultae, quae ibidem alebantur et corruptionis periculo subiacebant. « Pianse Alfonso — subdit Tannoia — in sentirne lo stato: abbracciò l'opera e, fatto il piano, destinò in Gaeta li soggetti più riguardevoli in santità e prudenza, cioè i PP. Mazzini, Fiocchi e Gaiano ». Haec quo rectius intelligantur, oculos in Conservatorium parumper convertamus.

2. - Status Conservatorii iuxta P. em Tannoia et documenta archivistica.

Exstat adhuc ad radicem collis, cui insidet Caieta, in civitatis regione plana atque prope maris oras templum magnificum « SS. mae Annuntiatæ » dicatum, vulgo A.G.P. (*Ave Gratia Plena*) signatum, ab aevo quidem remoto structum, sed volvente temporum rota reffectum, deturpatum ac reinstauratum. De eiusdem historia ac statu, quo tempore S. Alfonsi filii ibidem commorabantur, nulla aut fere nulla vestigia apud archivum Curiae aut in tabulario Conservatorii invenimus (3). Ceterum Missionarii alfonsiani ministerium suum in Conservatorio potius quam in ecclesia exercuerunt.

Etenim ad umbram ecclesiae atque sub B.M.V. patrocinio ortum erat atque per saecula floruit nosocomium vere aptatum, deinde vero additum fuit orphanotrophium, cui labentibus annis superadditus viguit titulus Conservatorii: titulus quidem, etsi non fraudulentus, at re vera euphemisticus. Enimvero, quae saeculis praeteritis grassabantur apud plebem mortalitas infantilis (4) et extrema familiarum egestas efficiebant, ut genitores prolem vix natam perferrent ad SS. mam Annuntiatam ibique in rota loculata (5) infantes noctu diuque exponerent; unde *Expositi* cognomen sin-

(2) Sic eum vocat Tannoia. Fortasse agitur de D. Carolo Danza, S. Alfonsi amicissimo, qui apud Caietanum archivum comparet an. 1759 gubernator (*sopraintendente*) Pii loci. Simul cum ipso memoratur an. 1760 D. Dominicus Mirra, « Avvocato di questa S. Casa [SS. mae Annuntiatæ Caietanae] in detta città di Napoli ». (Arch. d. Annunziata - Gaeta. Deliberazioni A.G.P., dic. 1749-1864. Sine fol.).

(3) Praeter volumen in nota praecedenti citatum, consulimus: *Deliberazioni*, 1755-1764. - Item: *Libro Maggiore*, 1758-1762 (Avere-Dovere).

(4) In neapolitano archivo paroeciae S. Mariae « dei Vergini », ubi baptizatus fuit S. Alfonsus, exstat series, cui titulus: *Liber Infantium defunctorum a bimatu et infra*. Porro *Liber II* post annum 1700 et deinceps exhibet singulis mensibus summam 10-15 immo et 20 infantium defunctorum in praefata paroecia.

(5) Commonstratur adhuc hodie, ad laevam manum principalis ingressus, quidam

gulis atque universis deinceps adiudicatum. Quae sane infantium expositio ingravescebat, quia complectebatur non solum orphanos aut quomodocumque a genitoribus filios derelictos, sed praesertim illegitimos, quorum sors ulterior ita regebatur, ut orphanis sive illegitimis masculis, praehabita apud pium locum educatione, adsignabantur familiae honestae, quae illos in vita sociali insererent atque coadiuvarent; feminis vero, iis exceptis quae ad matrimonium valebant accedere, perfugium atque asylum praebebat intra SS.mae Annuntiatae claustra. Hinc praefatum Conservatorium originem duxit. Secus tamen ac in Conservatoriis stricte dictis, ubi generatim puellae et sanctimoniales convivebant (6), apud Caietae Conservatorium non nisi infantulae ac puellae morabantur, sibi praepositis feminis adultis, quae in eodem centro tanquam « expositae » vix natae receptae fuerant. Conservatorium igitur laicum sub moderatione Gubernatorum laicorum, qui pro illius aevi moribus praeerant institutioni.

Quibus praelibatis, clarescit paulisper Conservatorii status, qualis erat S. Alfonsi tempore, ex instrumento quod SS.mae Annuntiatae gubernatores immiserunt in officiali vectigalium tabulario (*catasto*) apud neapolitanum Status Archivum exstante. Ipsi namque non modo oeconomicas loci angustias expromunt, verum se etiam dedisse asserunt memoriale regi Carolo, ut Conservatorium in meliorem formam redintegraret. Sine dubio, pro eorum scopo effugiendi interventum fisci in SS.mae Annuntiatae redditibus onerandis, augere potius quam minuere squallorem loci curarunt; attamen obiectivam rerum conditionem quoad substantiam referunt nec difficile reddebatur veritatem affirmationum comprobare. Declarant enim coram officiali vectigalium commissione:

Pesi forzosi annui, che porta la Ven.le Chiesa A.G.P. [Ave Gratia plena] di Gaeta. - Rinfresco all'Esposite del Conservatorio.

Più mantiene un Conservatorio di Esposite, che al presente sono in numero 225, oltre di quelle si tengono ad allattarsi, e molte altre inferme, che si tengono a curare dalle balie, a quali si da il vitto, vestito ed ogni altro bisognevole...

È perché per mantenimento di detti Ospedali, Conservatorio e famiglie, vi necessita una grossa spesa annuale; però non si è posto ad esito [*in declaratione ante commissionem*] il vitto e vestito, così dell'Esposite come degl'infermi e famiglia, per essere una cosa incerta. Onde tutto ciò si pone alla considerazione della saggia mente di chi spetta; tanto è vero che non potendo detta chiesa colle rendite supplire alli pesi forzosi, è stata molte volte necessitata pigliare denaro a censo e servirsi di capitali restituiti colla licenza de' superiori. Ed essendo molto cresciuto il numero dell'Esposite, e va crescendo alla giornata, venendo dalli stati di Baroni circonvicini, si è dato memoriale a S[ua] M[aestà] (che Dio guardi) e sta rimesso alla Camera Reale, ò che faccia contribuire dalle terre convicine qualche summa

angulus in quo rota loculata sita erat ad expositos infantes recipiendos. Aedificium vero abhinc plures annos aliis usibus, praesertim habitationi, destinatum fuit.

(6) Saepe in nostris articulis de huiusmodi Conservatoriis verba fecimus. Eorum regimen communiter differebat prout ipsis vel solummodo viri seu gubernatores laici praeficiebantur, vel etiam auctoritas ecclesiastica quadamtenus praeerat. Similiter non raro in Conservatoriis morabantur sanctimoniales cum clausura plus minusve stricta, quandoque autem simplices puellae instar religiosarum congregatae, educationis gratia.

annua, ò pure che vogli far levare da detto Conservatorio porzione dell'Esposite e farle ripartire alli Conservatorj di Napoli, Capua ed Aversa, perché questa chiesa non può mantenerle (7).

Porro si iuxta Operis gubernatores tanta indigentia materiali laborabat Conservatorium, nihil inde mirum quod paupertatis consequentiae refluerent super infantium corpora et mores, praesertim quia regimini interno invigilabant « Magistrae », id est, Expositae aetate grandiores, quarum vivendi et vigilandi ratio devenerat prorsus deficiens, immo et prava, quandoquidem orbae cum essent necessaria educatione, hanc nullo modo in puerulis refundere poterant. Sed contra, propriis commodis inhiantes et passionibus ipsae indulgentes, crudeliter vexabant minores easque, nedum in necessitatibus iuvarent ac lenirent, miserabiliores sub omni aspectu physico et morali reddebant. Hinc Conservatorii tetrum spectaculum, quale a Patre Tannoia per Missionarios edocto nobis transmissum est:

« Nella città di Gaeta vedevasi ridotto in uno stato assai miserabile il Reale Conservatorio delle figlie esposte, dipendente da quello dell'Annunziata di Napoli, e col temporale ci andava di sotto anche l'eterno. Le figlie così mal guidate non erano meno di quattrocento. Affidandosi le piccine alla cura delle grandi, ognuna di queste, chiamata maestra, avevane sotto di se le dieci e dodici. Benché veniva somministrato da Napoli e vitto e vestito, le maestre, o per dire meglio, le tante tigri, così chiamate, ritenevano tutto per se e non somministravano a quelle poverine, che troppo scarso un tozzo di pane. Così approfittavansi del vestito. Vedevansi le figlie talmente nude e cenciose, che ci pativa estremamente la pudicizia; ma così cariche di animaletti, e di croste sulla testa, che guardar non si potevano senza che lo stomaco non si sconvolgesse. Non vi erano letti, ed il riposo di ognuna non era che un poco di paglia sul pavimento, ma infracidita e puzzolente » (8).

Descriptio fortasse aequo calamo nigrior, utpote quae vergebat ad ulteriorem reformationis operam extollendam; at simul adumbratio necessaria, quo vividius oculos atque animos offenderet moralis degradatio, cui impuberes subiacebant et super qua prosequitur Pater Tannoia: « Col corpo ci pativa anche l'anima. Mancavano li primi rudimenti cristiani; idea di onestà non vedevasi tra tutte, ed essendo il luogo aperto ad ognuno, non vi era né rossore né vergogna. Le parolacce erano comuni, vi regnavano le bestemmie; né sapevasi, anche dalle più vecchie, cosa fosse confessione. Tutto era miseria e peccato. In buon senso il pio luogo, se era un porcile per il corpo, era un'inferno per le anime » (9).

(7) Arch. di Stato - Napoli. Catasto, Gaeta, v. 1164, f. 88. Rivela de' beni stabili ed annue entrate, che possiede la Ven.le Chiesa ed Ospedale della SS.ma Annunziata della città di Gaeta. - f. 100: Pesi forzosi annui, che porta la Ven.le Chiesa A.G.P. di Gaeta. - f. 103: Rinfresco all'Esposite del Conservatorio. - Deest volumini annus compilationis, sed aliunde scimus tabularium vectigalium nationale seu *catasto* confectum fuisse, lentis Commissionis passibus, ab anno 1742 usque ad annum 1755; quamobrem memoriale, de quo in textu fit mentio, potuit ad regem Carolum deferri prius quam ipse ad urbe recederet, prout ex Patre Tannoia eruitur.

(8) [A. TANNOIA], *Della Vita ed Istituto del Ven. Alfonso M^a Liguori I* (lib. II, c. 46), Napoli 1798, 289. Procul dubio exaggerata videtur 400 expositarum summa totalis, quae a *catasto* et, infra, a Missionariis ad 216-225 reducitur.

(9) *Ibid.*

Epiphonema crudele atque illacrimandum! - Nec narratoris phantasiae adnectendum, quia non semel in archivistica indagine nobis obviam occurrunt aliae similes educationis (!) institutiones, quarum convictrices ob perversum gubernatorum laicorum interventum substabant prostitutioni plus minusve celatae. Hoc ergo corruptionis extremum, in caietano Conservatorio minime comprobatum, prorsus arcere urgens erat.

3. - *Opus reformationis a S. Alfonsi discipulis instauratum.*

Asserit P. Tannoia, quem super hac re apprime edoctum iure praesumimus, regem Carolum Borbonicum dictasse primas ad Conservatorium reformandum instructiones. Has tamen communicare debuit ante diem 7 octobris an. 1759, in quo ipse a Neapoli discessit cincturus coronam regum Hispaniae. Negotium Conservatorii tractandum cum Regentibus neapolitanis et cum SS.mae Annuntiatae administris suscepit P. Franciscus Margotta, qua Procurator generalis totius Instituti, qui die 19 aprilis an. 1760 ex urbe neapolitana ad P. Tannoia rescripsit: « Sto molto impiccato per l'affare di Sarnelli, di Gaeta e di Sicilia » (10).

Interea S. Alfonsus Missionarios delegerat, qui consilia reformationis exsequerentur, videlicet P. Ioannem Mazzini, rectorem Nuceriae Paganorum, P. Carmelum Fiocchi et P. Carolum Gaiano. Postquam tres reformatores Caietam intra Paschatis octavam appulerunt atque in loco menda et defectus observarunt, manum protinus iisdem corrigendis admoverunt, prudentiam ac dulcedinem cum fortitudine permiscendo. Quoniam animabus corporibusque mederi opus erat, utrumque simul ad felicem exitum perducere nisi sunt, nec labori parcentes, nec contradictiones metuentes. Adversus eos namque insurrexerunt Magistrae tentantes sua quaeque privilegia tueri ac iustificare corruptelas, quibus illaqueabantur puerulae expositae.

Transactis porro duobus mensibus P. Fiocchi Scalam scripsit ad sanctionalem Mariam Angelam « del Cielo »: « Mi trovo in Gaeta con Mazzini e Gaiano per ordinare un Conservatorio di 210 figliuole, che è stato in una confusione incredibile. Si sono fatte cose buone, ma bisogna tempo e orazione per ordinarlo a dovere » (11). Inter opera bona accensebantur: hygienicas aequae ac medicinales curas fovere, mensam communem pro universis convictricibus ripristinare, fores ac fenestras quae animabus obsessent praecludere, quae autem valetudini faverent reserare, supellectili necessaria ditare cubicula, vestitu congruenti atque honesto pudicitiam infantularum vallare. At praesertim vitae christianae instaurandae prospexerunt ab initio; hinc praehabitatis exercitiis spiritualibus atque in pace per confessionem repositis conscientiis, ulterius progressi sunt atque tabulam horariam sic quotidie disposerunt, ut postmodum sive in labore manuali sive in devotionis oblectamentis tempus alternatim impenderent, datis quoque horis opportunae recreationi.

Ita factum est, ut mense iulio Nuceriam remigraret P. Ioannes Mazzini, in cuius locum suffectus est P. Bernardus Apice. Is die 27 iulii, priu-

(10) KUNTZ, *Commentaria* VI 190. - Quoniam mense septembri eiusdem anni P. Margotta cum aliis sodalibus ad Scalam accesserat pro novendiali SS.mi Crucifixi et etiam probabiliter pro exercitiis ad religiosas, scripsit ad superiorissam P. Fiocchi: « Vi assicuro che ne godo, specialmente perché n'è venuto quel santone del P. Margotta » (*Ibid.* 197).

(11) *Ibid.* 198.

squam Caietam peteret, ad quamdam religiosam monasterii SS.mi Rosarii, oppidi Monticchio prope Massam, communicabat: « Mi trovo in Napoli per passare in Gaeta, dove con altri Padri staremo in tutta quest'estate per la riforma del ritiro delle figliuole della Nunziata ». Die autem 4 augusti ad eandem rescripsit: « Questo Ritiro delle figliuole di Gaeta già, grazie al Signore, riformato, ha bisogno di assistenza... Qui dobbiamo stare almeno sino alla fine di ottobre, e al primo di novembre dobbiamo partire per le lontanissime Missioni nella marina di Puglia » (12). Ad campum igitur missionarium sese redintegrarunt S. Alfonsi alumni, uno excepto praefato P. Apice, qui intra mensem decembrem, immo mense februario an. 1761 Caietae iterum comparuit, ut aggeres ad reformationem fulciendam structos solidaret.

Quos inter aggeres duo potissimum eminebant, unus intra claustra, alter extra ipsa, at eisdem proxime adiacens. Ex primo capite delectae sunt quattuor piae sodales seu convictrices ex neapolitano Conservatorio S. Vincentii (13) in Caietanum translatae, ut verbo atque exemplo mores instauratos complerent ac perficerent. Ex alio vero capite inventi sunt zelantes sacerdotes (14), quibus commissum est munus assidue invigilandi profectui spirituali et quotidianae disciplinae renati Conservatorii. Cunctis ergo stabiliter compositis, licuit Patri Tannoia feliciter concludere: « Pius Locus ex vero inferno mutatus est in speciosum paradisum ».

Florere denique perrexit, ni fallimur, saltem usque ad medium saeculum XIX (15) secundum fas est deducere ex *Libro deliberationum*, quem supra (nota 2) allegavimus. S. Alfonsus quoque, dum vixit, animum et cor a longe versus Caietam identidem convertit, non solum quia, Tannoia teste, Conservatorii reformati vicissitudines ipsum commoverant, verum etiam quoniam ad sedem Caietanam an. 1771 evehctus est quidam illius filius spiritualis, parochus ecclesiae neapolitanae sub titulo « dell'Avvocata » (16), scilicet

(12) A. SACCARDI, *Vita del Padre D. Bernardo Apice*, Napoli 1816, III, 114, 117.

(13) Alias exscripsimus de his cooperatricibus tanquam obortis ex schola S. Vincentii « a Paulo » (*San Alfonso M^a de Ligorio*, I, Madrid 1950, 617). Textu tannoiano strictius repenso, fatemur in ipso asseri solummodo quod « si fecero venire dal Conservatorio di S. Vincenzo di Napoli quattro di quelle savie donne per regolare le figliuole nello spirito e nella fatica » (l.c. 290). Nondum tamen cum certitudine hoc Conservatorium eiusque sanctum titularem comprobavimus.

(14) Inter personas, quibus stipendium a Domo SS.mae Annuntiatae solvebatur, in praefato tabulario seu *catasto* numerantur: « Rettore e sacrestano, cappellani ordinarj e straordinarj, un teologo, un maestro di casa, un confessore, otto clerici, uno speciale, un infermiere, un soto infermiere, maestro di grammatica, di canto, di cerimonie, tre medici, due chirurghi, un barbiere, un avvocato a Gaeta e un 'altro a Napoli, procuratori etc. ». - Ex quibus plerique munia sua in ecclesia aut in nosocomio adimplebant, quin nimis de Conservatorio occuparentur.

(15) Apud historicum localem recentiore invenimus quasdam notitias haud parvi momenti, si earundem epocha pressius definiretur: « Ospedale ed Orfanotrofo, fondato nel 1321... Ad esso fu commessa la ricezione degli *espositi*, dei quali i maschi, dopo l'infanzia, dovevano essere consegnati a persone probe; le femine, educate nel locale ed all'uopo dotate, se ad una certa età trovavano marito. Da quelle che restavano *nubili* attempate ebbe origine l'*oblazione*, ossia il vestire con tunica nera a mo' di monache e si dissero *oblatae*. Ecco come l'orfanotrofo fu impropriamente chiamato Conservatorio » (ONORATO GAETANI D'ARAGONA, *Memorie Storiche di Gaeta*, Caserta 1885, 234).

(16) Arch. Vat. Proc. Consist., an. 1771, v. 160, f. 103-113: Eccl^a Cajetana. Ipsius cognomen promiscue in documentis scribitur: Bergamo seu Pergamo. Baptizatus erat in paroecia neapolitana SS.mae Annuntiatae « a Fonseca » die 4 novembris an. 1726,

R. mus Carolus Bergamo, cuius prima ad SS. mam Annuntiatam sacra visitatio memoriam quamdam in archivo reliquit (17). Ipsemet ex Caieta S. Alfonso in spiritu consiliis adstitit post obortam contra Institutum alfonsianum procellam, quae sub nomine *Regolamento* in biographiis S. Fundatoris describitur; quin etiam, ex sua episcopali sede Terracinam se contulit an. 1781 generosus Praesul, causam S. Alfonsi suscepturus coram Pio VI, qui operam « bonificam » agri romani visitabat (18). Sed de his alias et alibi.

ad sacerdotium vero evectus die 2 decembris an. 1749. Quamobrem largo sensu accipiendum est assertum Patris Tannoia, qui praesulem vocat S. Alfonsi poenitentem.

(17) Huius praesulis Visitatio Sacra ad SS. mam Annuntiatam an. 1772 peracta accensetur in Curiae regesto, quin expresse Conservatorii fiat mentio: « Visitatio Eccl. ae A. G. P. hujusce civitatis. - Die 26 mensis octobris 1772, idem Ill. mus et R. mus D. nus cum dictis suis dominis Convisitatoribus Generalibus ad visitandum se contulit ecclesiam praebendam, et honorifice exceptus fuit nedum a Rev. D. no Salvatore Reale, sacrista maiore eiusdem ecclesiae, caeterisque de clero ibidem addicto, verum etiam ab Illustribus nonnullis de Regimine et Gubernio illius. Post expletos Sacros Ritus et Caerimonias... visitavit dumtaxat Sacrum Ciborium, et bene provisum de duabus pixibus, ac elegantissime retentum laudavit. Visitavit item Sacrum Oleum Infirmorum. Et quod omnia concinne etiam osservandum haud dissimiliter laudavit, commendata interim et ex corde non solum vigilantia et solertia ipsorum de Regimine antedicto, sed et pietate, religione ac devotione eorundem. - C[arolus] E. pus Cajetanus. - Raphaël Tosti, Convisitator Eccl. us. - Aloysius Aprile, Cancellarius S. Visitationis. - (Arch. d. Curia - Gaeta. Sacra Visita, Visitationis Civitatis et Suburbiorum Cajetae an. 1772).

(18) Biblioteca Vaticana. Cod. Lat. 8.888. Relazione del viaggio di N. S. PP. Pio VI (Aprile e maggio 1781).